



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1856**

XIV. Heidenreich, Bischof von Brandenburg, bestätigt dem Kloster Spandow das Patronat und den Genuß der Pfarreinkünfte aus Bornim, am 5. Juni 1288.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54728)

XIV. Heydenreich, Bischof von Brandenburg, bestätigt dem Kloster Spandow das Patronat und den Genuß der Pfarreinkünfte aus Bornim, am 5. Juni 1288.

In nomine I. et ind. trinitatis amen. Iniuriatur memorie frequenter oblivio. Longinquitate fit sepe temporis, ut res clara presentibus reddatur obscura futuris; quare aduersus obliuionis dispensium de scripture suffragio prouidit industria sapienter. Cum itaque rerum gestarum certissima representatio sit scriptura, que de roboris serie redactorum in ipsam neque minuit neque mutat; Nos heydenricus, dei gratia Brandenburgensis Ecclesie Episcopus, recognoscimus et tenore presentium in publicam volumus noticiam deuenire, tam presentibus quam futuris omnibus et singulis ipsarum auditoris continenciam seu visuris, quod cum Illustres principes domini Otto et Otto, fratres, Marchiones Brandenburgenses, jus patronatus ecclesie Bornem sanctimonialibus in Zpandow dederint et in eadem transtulerint pleno iure pro suarum remedio animarum, Nos eandem sanctimonialium inopiam intuentes, que die noctuque famulantur in sanctimonia ihesu cristo, De consensu capituli nostri predictam donacionem ratificamus, approbamus et in nomine domini confirmamus, volentes, ut dicte sanctimoniales prouentus dicte ecclesie in Bornem percipiant et ad eandem pertineant in suarum subsidium expensarum, eo tamen saluo, ut rectori dicte ecclesie tantum relinquatur, qui pro tempore fuerit, unde sustentationem congruam habeat, hospitalitatem teneat, episcopalia iura persoluat. In cuius rei euidentiam certiore presentibus de certa nostra sciencia conscriptis sigillum nostrum duximus apponendum. Huius rei testes sunt Hermannus de Carpzowe, Wegerus de Zpandow, Thedolfus de plote, Heyfo de Netsem, milites, Hinricus dictus de Carpzowe et alii clerici et layci fide digni. Datum Brandenburg, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXX VIII<sup>o</sup>. nonas Junii, pontificatus nostri anno secundo.

Nach dem Originale des Geh. Staats-Archives.

XV. Heynekin und Ludwig von der Gröben überlassen der heiligen Geist-Kirche zu Spandow vier Hufen Landes in Seegeselde und stiften damit ihre Gedächtnißfeier, am 24. Juni 1289.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Omnibus in perpetuum Auditoris presentes litteras et visuris Heyncekinus miles, dictus de grubene, salutem et noticiam subscriptorum. Inconuulsum obseruari debet a posteris atque ratum quidquid per discretos fuisse uidebitur canonice ordinatum. Hinc est, quod notum esse cupio tam presentibus quam futuris, quod ego una cum meo patre Lodewico contuli Ecclesie sancti Spiritus in Spandow quatuor mansos adiacentes ville Segeuelde, quas dominus Johannes, Rector et prouisor dicte Ecclesie, a thidekino dicto bornewiz in usus eiusdem Ecclesie iuste ac legitime emptionis titulo comparauit. Hanc autem collationem eternam statuimus sub hac forma, scilicet ut singulis diebus dominicis vigiliis secundisque feriis missa pro defunctis pro memoria anime patris mei, cui fuit nomen heyenne, matrisque mee, cui nomen erat ysche, necnon fratrum meorum scilicet domino arnoldo et eius vxori So-